



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Chiebach Monasterivm Monialivm, Ordinis S. Benedicti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

auff einem/ vnd ihnen für sich vnd ihr Nachkommen dem andern theil gegeben vnd außgangen antreffende die irrung/ so zwischen ihr beyderseit gewesen sind/ von wegen der Wert vnd Anschut so die Thonnaw an des obgenannten Gottshaus zu Sant Claren Wisnad bey dem Wuebenbach genant/ der werde in Wert der Herrschafft gelegen/ gesetzt vnd angeschutt hat/ darumb baid Partheyen in demselben Spruch Brieff durch Erber Leut entschaiden worden sind/ Namlichen also das die obgemelt angeschutt mit ihrer gelegenheit von des Gottshaus zu Sant Claren Wisnad bey dem Wuebenpach genant/ der werd nach der weit vnd breit desselben Wisnads Gerichten hinauß bis auff's jüngst an den verren Graben do es die Thonnaw am lesten daselbs angeschutt/ geben vnd lassen hat dem obgenannten Gottshaus zu Sant Claren zusambt seinem Wisnad vorgeantent füran allwegen folgen/ beleiben vnd seyn soll an des obgenannten Bischoff Fridrichs vnd aller seiner Nachkommen vnd manichelichs irrung eintrag vnd widersprechen nach laut vnd mit mehr Worten desselben Spruchbrieffs der gescheln/ ist an dem nächsten Sontag vor der Andleß tausend Mayd tag do man zalt nach Christi vnser lieben Herrn Geburt tausent vierhundert vnd im vier vnd funffzigsten Jarn vnd vns darauf demütiglich angeruffen vnd gebeten ihn vnd irem Gottshaus als je Laudefüß vnd oberster Vogt solchen spruch gnediglich zu conformyren vñ bestätt/ hierumb auß wol bedachten Muth vnd rechter wissen/ So haben wir der obgenannten Abtissin Conuent vnd Gottshaus/ als ihr Landesfürst vnd oberster Vogt solchen vorgemelten Spruch auß sundern Gnaden vnd Neigung so wir zu ihr haben gnedilichen bestätt vnd befestigt/ bestätten vnd befestigen ihn den mit diesem vnserm Brief/ doch vns vnentgoltten vnd vnshedbar/ ob wir in solchem ichte Gerechtigkeit hetten oder haben sollen/ des zu verkunde haben wir ihn den Brieff geben mit vnsern anhängenden Insigel versigelt. Zu München an Mittwoch nach Sant Martins tag/ do man zalt nach Christi vnser lieben Herrn Geburt/ tausent/ vier hundert/ vnd in dem vier vnd funffzigsten Jarn.

S. CRVCIS IN RATISBONA MONASTERIVM MONIALIVM.

FVIT hic olim Capella S. Sixti, vbi vixerunt sacrae Virgines, quibus Henricus, Comes de Ortenberg, dedit Parochiam, & decimas in Schvvarzhof, prope Neuburg ante syluam Bohemicam, vt scilicet, ex illis redditibus proxime Capellam Monasterium ædificaretur, Anno 1237. quod & factum est. Ea Capella illa jam est Xenodochium sacrarum Virginum, seu infirmaria, vt vocant, edificatum est huius ordinis Monialib⁹ Cœnobium in Schvvarzhof, quod Hussitæ vastarunt, itaque Moniales Ratisbonam profugerunt.

HEINRICVS Otto & Henricus, Duces Bauariæ inferioris, instituerunt ibi anniuersarium pro sua & progenitorum salute, confirmantes prædium seu curiam in Obern Berbing, ac eximentes illam ab aduocatia, steuris, censibus, ac aliis oneribus, Anno Christi 1323. Confirmat hoc Albertus Dux Bauariæ, dictus sapiens; eatenus, quatenus regulæ suæ obseruantiam seruarent, Anno 1489. Extant ibi diplomata.

CHIEBACH MONASTERIVM MONIALIVM,
ORDINIS S. BENEDICTI.

CASPAR Bruschius in centuria sua Monasteriorum Germaniæ, de fundatione huius Monasterij quædam fabulosa scribit, ac eam Comitibus Witelspacensibus tribuit, errans quoque in anno fundationis, quem ipse 1108. ponit, nec non in consecratione eiusdem, cum tamen diplomata eiusdem Monasterij,

sterij, quorum infra fit mentio, aliter testificentur: Tamen si hoc verum est quod Witelspacenses, extincta stirpe fundatorum, facti sunt Aduocati huius Monasterij, tanquam vicini. Kuebach Cœnobiū in eiusdem nominis vico Bauarico, medio ferè itinere inter Schrobenhaußen & Aicha constructum, fundatum & dotatum est, Anno 1011. secundum Auent. & sequens diploma foundationis, ab Alberone, Comite de Sempt & Ebersperg, in honorem S. Magni Confessoris, eumque paulò post incendio periisset, ab Vdescalco Comite, fratre fundatoris, eiusque coniuge Wilbirgi denuo instauratum esse ibidem legitur. Abbatissarum loci non extat integer Catalogus.

HENRICVS secundus Rex huic Monasterio priuilegium dedit, creandi sibi iuxta regulam S. Benedicti Abbatissam, & eligendi pro libitu Aduocatum; post obitum tamen Comitis prædicti Alberonis fundatoris, qui ius Aduocatiæ temporibus vitæ suæ sibi reseruauit, recipiens Monasterium hoc, cum Monachabus & omnibus bonis tam collatis, quàm deinde conferendis, in suam regiam immunitatem. Datum Anno 1011. Anno Henrici secundi regnantis decimo, in Regenspurg. Sequitur diploma in fine.

HENRICVS tertius Rex, pro remedio animæ suæ, & ad petitionem Hædmod, venerabilis Abbatissæ, dedit huic Monasterio villulam, quæ vocatur Brunadra, & molendinum situm in Hohenrieden, infra comitatum Ilfinc Comitis, cum omnibus suis pertinentiis, hoc est vtriusque sexus mancipiis, arcis, ædificiis, terris, cultis & incultis, agris, pratis, pascuis, campis, syluis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, exitibus & redditibus, vniuersis & inuiuis, quas sitis & inquirendis. & cum omni utilitate, quæ inde prouenire potest. Actum Vlmæ, 5. Iduum Nouembris, Indictione decima, Anno 1041. Anno regni Henrici tertij III, ordinationis verò XIII.

HERMANNVS Episcopus Augustensis, diuisione decimarū in tota Parochia Chuebacensi, per Childebertum Archidiaconum nomine ipsius, cum consilio & consensu Richardis Abbatissæ, eiusque sororum, nec non Palatini Comitis, eiusdem Ecclesiæ defensoris, ac totius populi collaudatione facta, statuit vt Parochianus Presbyter Episcopi ac etiam suam partem obtineat. Vnde in celebranda populi Synodo Archidiaconum suscipiendo honorificè pascat; reliquas partes Abbatissæ habeat, vt pauperibus in hospitali fideliter distribuatur. Actum 1127. Calendas Februarij, Honorio Papa præfidente, Lothario Rege secundo regnante.

Hic Hermannus Episcopus Augustensis, de familia Comitum Witelspacensium, dicitur fuisse magnus huius Monasterij fautor ac benefactor.

Cum non multum postea lis esset orta inter Ecclesiam Aichensem, & Dominam Adelhaidin Abbatissam, volentes Chuebacensem Ecclesiā, tanquam filiam Aichensi quasi matri subiectam, esse, Abbatissa credibili testimonio comprobauit, Chuebacensem Ecclesiam liberam ac matrem per se esse; eam libertatem Conradus Episcopus Augustensis cum suo capitulo per decretum confirmauit, ac desuper litteras dedit, Anno, 1154. Indictione tertia, 15. Calendas Octobris, regnante Friderico, Rege glorioso, extat ibidem.

BRVCHIVS meminit loco supra dicto in Templo Chuebacensi, quod singularem præ se fert antiquitatem, in quadam parua & humili Crypta, sub Monialium Choro extare saxum seu monumentum, cum tali inscriptione,

*Continet iste locus Comitis laudabile corpus,
Albrat enim fertur flebile quod moritur.*

X 4

Francia

Francia quam dederat, gaudens hæc terra fouebat,

Dum vixit statuit optima, quæ potuit.

Qui legis hoc carmen poscas sibi te precor ex hinc

Unde ruit culpa, quò redeat venia.

HANC ALBERATIM dicit fuisse vxorem Comitis Adalberonis, ipso in reditu ex itinere Hierosolymitano defuncto, Comitissam grauidam & partui propinquam, ex mœrore animi vna cum infante extinctam, eius vnicam filiam, Willeburgim doloribus percussam, se & omnia sua bona Deo dedicasse, ac auxilio cognatorum suorum, Comitum Witelspacensium, Cœnobium hoc construxisse; cuius ipsa prima Abbatissa designata sit, &c.

IS TVC autem diplomati Henrici sancti aduersatur, vt supra dictum est. Auentinus in epitome ponit, Alberoni fundatori vxorem Alberadim.

SEQV VNTVR diplomata foundationis & confirmationis Henrici sancti Imperatoris.

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Henricus diuina fauente clementia Rex, &c. Notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque fidelibus præsentibus scilicet & futuris, qualiter quidam fidelium nostrorum Comes officio, nomine Adalbero, cogitans cum transitorijs suis æterna, cum terrenis mercari cælestia, quoddam Monasterium puellarum ad regulam S. Benedicti, in honorem verò sancti Magni Confessoris, in loco nomine Chuebach, in Comitatu Herzhufa, de prædio & collaborato suo fundauit, & pro libitu Deo aspirante perfectum, sanctique Magni ministerio, & nomini dedicatum, in nostram potestatem libertandi gracia transfudit, & suæ suorum proprietati ac potestati deinceps in futurum eo tenore abalienauit, quatenus post acceptam nostræ immunitatis chartam idem ipse præfatus Comes Adalbero jus Aduocati legitimum omnibus diebus vitæ suæ in eodem tantum Monasterio retineat, post obitum verò suum idem Monasterium ex integro in potestatem Abbatissæ, & sanctimonialium ibidem Deo sub regula sancti Benedicti commilitantium reuertatur, quatenus Abbatissa eiusdem loci, sub nostra, nostrorumque Successorum munificencia liberam habeat potestatem. Aduocatum, quem sibi necessitas & vtilitas dictauerit, subrogandi. Congregatio autem Monasterij per successiones temporum liberam habeat electionem Abbatissas regulares iuxta decretum sancti Benedicti, sine omnium hominum contradictione substituendi. Hoc addito, si (quod absit) aliqua potestas iniusta idem Monasterium vel res suas alteri Monasterio vel personæ in beneficiare vel in proprietatem donare voluerit, & in hoc ingenio effecerit, prædicti Comitis Adalberonis proximus hæres in sua potestate habeat, quousque nostro, Successorumque nostrorum adiutorio ad statum Monasterij, vnde ablata fuerant, iterum reducat, & in pristinam libertatem, stabilitatemque restituat. Iustis igitur prædicti Comitis petitionibus annuentes, eo quo rogauerat tenore præfatum Monasterium cum Monachabus, & omnibus ibidem in præsens collatis, vel in posterum conferendis in nostram immunitatem recipimus, & hoc regia præcepti nostri libertate donatum, & perpetuum confirmatum nostræ manus subscriptione roborauimus, & in æternæ memoriæ testimonium Sigilli nostri impressione insignire iussimus.

GVNTHERRIVS Cancellarius vice Erchanbuldi Archicapellani notauit.

DATA 6. Calendas Iulij, indictione 9, Anno Dominicæ incarnationis, Millesimo

filio undecimo. Anno vero Domini Henrici secundi regnatis 10. Actum. Re-
genesburæ feliciter. Amen.

*ALIA COPIA EX VERO ORIGINALI
DESCRIPTA IN EODEM COENOBIO.*

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Henricus, diuina fauente clemen-
tia, Rex. Si loca diuinis cultibus mancipata augere & ditare studuerimus,
hoc ad presentis nostræ vitæ statum, & æternæ retributionis præmium nobis
profuturum esse credimus. Quapropter omnibus Christi, nostrisque fidelibus
tam futuris quam & presentibus notum fieri volumus, quod ob remedium ani-
mæ nostræ & petitionem HADEMOT venerabilis Abbatissæ, villulam, quæ voca-
tur BRVNADRA & molendium situm in loco HOVENRIEDEN infra comitatum
ILSVNE Comitis, cum omnibus suis pertinentiis & adiacentis; hoc est vtriusque
sexus mancipiis, arboribus, ædificiis, terris, cultis & incultis, agris, pratis, pascuis, cam-
pis, syluis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, exitibus & redditibus,
vini & inuis, quæsitis & inquirendis. & cum omni utilitate, quæ villo modo
prouenire potest. Chuebachensi Ecclesiæ in honorem S. Magni Confessoris con-
structæ & consecratæ; cui prædicta Abbatissa præest in usum & utilitatē sancti-
monialium Deo, & sancto Magno pro tempore ibidem famulantiū, per huius re-
galis authoritatis paginam concedimus, donamus, & de nostro proprio iure, in
eius propriū ius & potestatem transfundimus, & tradidimus, ea videlicet ratio-
ne, vt supra nominata Ecclesiæ prædicta bona quiete & pacifice deinceps teneat,
& habeat. & omnium hominum contradictione remota possideat. Et vt huius no-
stri præcepti testamentum inconuulsū, & omni tempore incorruptum per-
maneant, presentem paginam inde conscriptam, manu propria, vt infra videtur
corroborauimus, & sigilli nostri impressione insigniri iussimus.

Eberhardus, Cancellarius vice Bardonis Archicancellarij recognouit.

Data 5. Idus Nouemb. indictione 10. Anno Dominicæ incarnationis. 1041
Anno autem Domini Henrici tertij, ordinationis eius XIII. Regni vero III. A.
ctum Ulmæ feliciter. Amen.

Sigillum omnino vetustate corruptum est.

Alia Copia

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Hermannus Aug. Episcopus
salutem in Domino. Quomodo summus Pastor Pastoribus præcepit pastora-
le officium exercere, errabundis & languidis omnibus congruam infirmitati me-
dicinam providere. Ideoque ex præcepto admoniti Dominico & officij nostri
cogimur debito, vt nec importuna instantia aliquos prouocemus, nec blandi-
ente desidia aliquos perire permittamus, sed neglecta, & vbique dispersa stu-
diosius colligamus, collectaq; in usum Ecclesiæ, iuxta Canonum decreta in me-
lius diuidamus. Decimas igitur in Chuebachensi Parochia, in villis, in vicis, in no-
ualibus iam diu iniuste subtractas, quas Childibertus Archidiaconus nostra fungens
legatione, cum quorundam virorum consilio, & cum Abbatissæ Richardis,
eiusque Sororum voto, nec non Palatini Comitis, eiusdem Ecclesiæ Defensoris,
totiusque populi collaudatione, in quatuor partes diuisit, videlicet vt
nostram

nostram Parochianus Presbyter, & suam partem obtineat, vnde in celebranda populi Synodo Archidiaconum suscipiendo honorificè pascat: Reliquas verò partes Abbatisa & pauperibus, in hospitali fideliter distribuat, hoc iudicio sancti Spiritus affirmantes sancimus, hoc auctoritate Banni nostri, ne vlla persona hoc mutare presumat, corroboramus.

Et vt pagina huius descriptionis nota sit omnibus Christi fidelibus, tam presentibus quàm futuris, & inconuulsa permaneat & stabilis, hanc chartam conscribi, sigillique nostri impressione iussimus insigniri.

Præterea quosdam fratres, Henricum Decanum. Purckhardum, Etichum, Meginardum, Hartvicum, Henricum, Dietgerum. Presbyteros, qui videre & audire, fecimus ascribi & Laicos, Palatinum Comitem, Vdalschalchum de Wallershouen, & alios de familia quàm plurimos.

Actum est, Anno Dominicæ incarnationis 1127. indictione 5. 3. Kalendas Februarij, Honorio Papa prædidente, Lorhario Rege Il. regnante.

Sigillum erat omnino corruptum.

Alia Copia litterarum.

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Anno millesimo centesimo quinquagesimo quarto, incarnationis Dominicæ, indictione tertia, 15. Kalend. Octobris, regnante Friderico, Rege glorioso. Ego Conradus, Augustensis Ecclesiæ Episcopus, licet indignus, in generali capitulo, cum Choro maioris Ecclesiæ, ac sex venerabilibus Abbatibus, ac vndecim regularibus Præpositis, ac innumera multitudine Clericorum iustitiæ deuotæ fauentibus; cum Dominus Abbas S. Vdalrici, Heleto & Palatini Comitis in hoc negotio missi Vicarij, contestata lite, per Patronos causarum, pro Ecclesia Aichina, aduersus Dominam Abbatissam de Chuebach, Adehaidin cœperunt litigare, volentes prædictam Ecclesiam quasi matricis Ecclesiæ Aichan filiam comprobare. Cæterum, Domina Abbatissa Ecclesiæ prædictæ libertatem ac matrem per se iustitiæ firmitate & veritatis tenore credibili testimonio comprobauit. Quorum testium nomina hæc sunt: Meinhart, Otto, Dietmar, Conrad; Vdalrich; Hi erant Presbyteri, Merbotho Laicus. Ea propter recognita iustitiæ S. Magni Ecclesiæ prædictæ libertatem confirmamus. Et quicumq; ausu temerario Capituli nostri decretum, irritare voluerit, æternæ damnationis reū excommunicationis perpetuæ vinculis eum innodamus. Signum propria manu nostra subscribimus.

ADDITIONES.

FVndatorem huius Cœnobij (quod à præterfluente riuo vaccarum vulgò dicto, & in flumen Parrum influente nomen traxit) Moniales ex suis vetustis monumentis agnoscunt Comitem *Wittelspacensem Adalperonem*, qui post recuperatam è Saracenorum manibus terram sanctam ex voto eo peregrinationem suscepit, relicta domi vxore grauida: ipse in reditu facis cessit. Nuncio flebili accepto vidua *Alberadis* partus dolorib. circūdata, cum foetu interiit: relicta vnica ex præmortuo coniuge filia *Wilburgi*; quæ spretis mundi vanitatib. se suaque omnia Deo contradidit; suorum cognatorum ope consilio condidit: atque in hoc ipso prima Abbatissa Christi miles strenua ad celeste brauium peruenit.

Sublata è medio *Wilburgi* antistite, successit *Adelheidis* ex Comitibus *Wittelspacensibus* progenita. huius in diem hodiernum sub choro Monialium in Ecclesia Monasterij in crypta exigua, conspicitur, sepultura cum tali epitaphio lapidi inciso.

Conti.

COLLEGIOR. PER BOIARIAM.

251

Continet iste locus, Comitum laudabile corpus.

Albrat enim fertur flebile quod moritur.

Francia quam dederat gaudens hac terra fouebat,

Dum vixit statuit optima qua potuit.

Qui legis hoc carmen poscas sibi te precor) ex hinc.

Vnde ruit culpa, quo redeat venia.

Dedicauit Ecclesiam, & monasterium confirmauit Hermannus Episcopus Augustanus An. Dn. MCXXI. & non longe post igne concrematum restauratur. ab Adelscalco Wittelspacen. Comite, eiusque coniuge Wilburgi, dotaui liberaliter Otto M. Wittelspacen. Comes Boiorum Dux à Friderico I. designatus.

CATALOGUS ANTI-STITVM MONASTERII KVEBACH.

- I. Dn. Wilburgis fundatrix.
- II. Dn. Adelheidis Com. de Wittelspach,
- III. Dn. Hattemuth presuit circ. ann. 1041.
- IV. Dn. Richardis an. 1127.
- V. Dn. Adlheidis ann. 1154.
- VI. Dn. Magdalena ann. 1228.
- VII. Dn. Agnes ann. 1253.
- VIII. Dn. Sophia ab Hoehenperg, anno 1268.
- IX. Dn. Macchtildis, an. 1275.
- X. Dn. Sophia ann. 1297.
- XI. Dn. Salome, ann. 1303.
- XII. Dn. Sophia, ann. 1310.
- XIII. Dn. Anna, ann. 1324.
- XIV. Dn. Agnes, ann. 1335.
- XV. Dn. Anna, ann. 1337.
- XVI. Dn. Salome, ann. 1346.
- XVII. Dn. Petrisla Waltungerin, ann. 1351.
- XVIII. Dn. Salome ann. 1357.
- XIX. Dn. Petronella, ann. 1360.
- XX. Dn. Salome, ann. 1367.
- XXI. Dn. Anna, ann. 1374.
- XXII. Dn. Petronella Pefenhauserin, ann. 1380.
- XXIII. Dn. Petrisla, ann. 1404.
- XXIV. Dn. Agnes, 1407.
- XXV. Dn. Veronica, ann. 1417.
- XXVI. Dn. Agnes Pferingerin, ann. 1428.
- XXVII. Dn. Petrisla, ann. 1440.
- XXVIII. Dn. Agnes, an. 1443.
- XXIX. Dn. Anna, Oederin, ann. 1456.
- XXX. Dn. Catharina Schvvollerin, ann. 1463.
- XXXI. Dn. Barbara Hufnegelin, electa fuit an. 1467. presuit an. 20. sub qua reformatum fuit Monasterium.
- XXXII. Dn. Scolastica Stamlerin, eligitur an. 1488. rexit an. 12.
- XXXIII. Dn. Iuliana Holzböckin, electa an. 1500. presuit an. 17.
- XXXIV. Dn. Sabina electa an. 1517. gubernauit an. 4.
- XXXV. Dn. Scolastica de Hasling, eligitur an. 1521. presuit an. 16.
- XXXVI. Dn. Veronica Pöllingerin administrationem suscepit an. 1537. tenuit an. 16.
- XXXVII. Dn. Maria Rhelingerin elig. an. 1550. presedit an. 9.
- XXXVIII. Dn. Sophia Schillingin, electa an. 1559. presuit. an. 16.

XXXIX.

XXXIX. Dn. Scolastica Holtzböckin *eligitur an. 1575. tenuit reg. an. 2.*

XL. Dn. Barbara Sternin *elect. an. 1577. rexit an. 29.*

XLI. Dn. Genoueva Rettin *elig. an. 1606. praefuit hebdomadis 39.*

XLII. Dn. Anna Maria im Hof *hoc ipso anno 1619. feliciter praefst.*

Sequuntur Abbatissae quarum nomina reperiuntur quidem in Calendario defunct. sed de his praeterea nihil habetur.

- I. Dn. Adalberta.
- II. Dn. Irmelgardis.
- III. Dn. Hildegardis.
- IV. Dn. Hildvvig.
- V. Dn. Hildburgis.
- VI. Dn. Wertha.
- VII. Dn. Kunegunda.
- VIII. Dn. Bichburgis.
- IX. Dn. Tutta.
- X. Dn. Scolastica.
- XI. Dn. Berchtrat.
- XII. Dn. Hedtvvig.
- XIII. Dn. Richnissa.
- XIV. Dn. Wervvig.
- XV. Dn. Ottilia.
- XVI. Dn. Richkardis.
- XVII. Dn. Mechtildis.
- XVIII. Dn. Anna.
- XIX. Dn. Gertrudis.
- XX. Dn. Geissula.
- XXI. Dn. Irmenthraudt.

DIETHRAMSZELL.

IVXTA Isaram Monasterium S Augustini Canonicorum regularium. Anno 1099. tempore Urbani secundi, imperante Henrico quarto, regni eius XLIII. duo pij & deuoti viri, Otto & Berengerus cum quodam venerabili Sacerdote Diethramo, maioris deuotionis & pietatis causa in eremum, Eglingerfurt nomine, secesserunt. Cum verò ibi duos annos mansissent, propter aquae penuriam domicilia sua ad riuum eiusdem syluae transfulerunt & Ecclesiam eodem in loco, in honore S. Martini, extruxerunt. Cum verò inter Dominos aliquos eodem tempore de terminis & finib. eius syluae contentio oriretur, Otto Comes de Diessen, cum duobus filiis suis, Ottone & Henrico, Abbas Vdalscalcus de Tegernsee, cum Aduocato suo, Reinpertus de Reut, cum fratribus suis, Ruperto, Adalberto, & Liebhardo, & alii plures conuenerunt; è quorum numero duodecim huius negotij arbitros elegerunt, qui dato iuramento, limites vnique parti proprios designarunt, & hanc syluae partem tanquam vacantem possessionem iudicarunt: cui decisioni & transaetioni fratres de Reut nequaquam stare voluerunt. Interim Dei omnipotentis instinctu mutati, omnes concorditer praedictam syluam non solum vacantem, verum etiam cuique parti addictam ad Monasterium deputarunt, quin etiam alios vicinos fundos ac bona pro aedificatione Monasterij tradiderunt. Dominus Diethramus missus est Romam, & à Paschali